

Alte Drucke

**HIER. ZANCHII || MISCELLA-||NEORVM || Libri Tres.|| AD ||
AMPLISSIMVM SE-||NATVM ANTVERP. ET AD ECCLE-||SIAS,
QVÆ PVRIOREM ANTVERPIÆ || profitentur ...**

Zanchi, Girolamo

Neustadt/Haardt, 1593

VD16 ZV 27950

**HIERONYMVS ZANCHIVS CHRISTOPHORO EHEMIO CANCELLARIO, GRATIAM ET
PACEM.**

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149561

HIERONYMVS ZANCHIVS CHRI-
STOPHORO EHEMIO CANCELLARIO,
GRATIAM ET PACEM.

Nolim Argentina Sturmius noster, parens illius Scholæ & ornamentum, Prolegomena quedam in Physica Aristotelis, quem tunc extra ordinem interpretabar, mihi extorsit. eaq; imprimenda curauit, cum nihil minus unquam, aut cogitarim, aut in animo habuerim, quam quæ præfatus fueram auditoribus meis in Scholâ, ea in lucem dare: sic tu compater Christophore oratiunculam meam, quam paucis horis, & illis quidem succis conceptam, intra priuatos parietes huius nostræ nouæ scholæ Neostadiensis ad fratres aliquot & studiosos adolescentes habui, idq; non aliam ob causam, quam ut non sine aliqua, & clementia diuina erga nos prædicatione, & illustrissimi Principis nostri laude, & ad studia cum humaniorum tum maximè diuinarum litterarum adhortatione in nouam hanc scholam ingrederemur: Tu inquam, mi Doct̃or Ehemio, oratiunculam meam, quam & tibi & alijs non semel denegaueram, tuis tandem crebris flagitationibus, mihi quasi è manibus; tantum non violenter, eripuisti, atque ut foras prodierit, quæ libentius domi latuisset, effecisti. Non me latet, te, ut hoc faceres, non aliare, quàm partim pietate in Deum, & obseruantia erga Principem tua, partim amore huius Scholæ adductum fuisse: Verùm quantum vel ad promouendam doctrinam pietatis, vel ad gloriam Principis illustrandam, vel ad nomen huic Scholæ comparandum, valere potuit, scriptio hæc mea inculta atque impolita? Ergo sicut Sturmium in euulgandis meis scriptiunculis imitari voluisti: sic cum etiam in præstanda culpa, si opus fuerit, par est imiteris; τοῦ τῆς ἀνάγκης, dicebat ille: ego verò addo, καὶ τοῦ τῆς Φιλίας πολλὰ ποιῶμεν κακὰ. Vale. Ex museo. Anno Domini M. D. LXXIX, die verò Februarij secundo, quâ die in hanc veni lucem, cum in Templis caneretur: Lumen ad reuelationem Gentium: annus verò ageretur 1516. post quem statim annum, lux ipsa Gentium, lucem Euangelij denuò è tenebris elucere, & per totum porro terrarum orbem splendescere iussit.

HIERONYMI ZANCHII DE AP-
RIENDIS IN ECCLESIA SCHOLIS, DE-
QUE OPERA SACRARVM LITERARVM
studijs cumprimis danda,

ORATIO:

IN SCHOLA NEOSTADIANA, AB ILLVSTRIS.
PRINCIPE IOHANNE CASIMIRO RECENS INSTITVTA,
20. Maij, M. D. LXXVIII. habita.

IULIANVS ille Apostata, clariss. & corn. auditores, Iulianus inquam ille hostis Christi acerrimus, totiusq; Christianæ Religionis contumeliosissimus irrisor, multa & graua mala dedit Ecclesiæ, atque adeò toti Reipub. Christianæ: plura & grauiora procul dubiò daturus, nisi Christus nefarios impij hominis conatus, vita illi ademta, maturè è cælo repressisset. Neque enim malus ille, ac malitiosus, ut læuus tantum Tyrannus, proscriptionibus, exilijs, bonorum direptionibus, igne (ut dici solet) & ferro, Christianos persequi in suum induxerat animum, & persequi iam inceperat: verùm etiam ut homo vaser & callidus, isque non indoctus multa aduersus Christianam doctrinam, acutè & non ineleganter scribere, ac disputare cum multorum admiratione solitus fuit: vsque adeò, ut plus damni suis sophismatibus, suaque eloquentia, quàm gladio dedisse, non malè à plerisque iudicetur. Mihi verò inter dolosas callidasque rationes, quibus sceleratus Imperator Christianam Religionem conuellere & funditus euertere conatus fuit:

illa

illa non postrema fuisse videtur, cum in suum induxit animum omnium bonarum literarum studia in Repub. Christiana paulatim extinguere, meramque barbariem inducere. Hoc enim tentauit, cum lege cauit, ne liberi Christianorum in scholas Rhetorum, Oratorum, aliasque liberales artes & disciplinas profitentium admitterentur. Quid enim obsecro sibi hac lege voluit, homo Apostata & iniquissimus Imperator? Consilium certe astuti Tyranni hic non habebat, sed longius tendebat: eò nimirum, ut ijs sublati studiis, studia quoque S. literarum tollerentur: Christiana quoque religio, ut quæ vera verbi Dei nititur cognitione, extingueretur. Cum enim bonis literis, honestisque disciplinis, non solum animi puerorum excolantur, ad virtutem bonosque mores informantur, ad pietatem erudiantur, sed Christiana etiam doctrina, & vera S. literarum cognitio non parum ijsdem adminiculis promoueat: quid studiis illis exterminatis expectari aliud poterat, quam mera inhumanitas, morum corruptio, colluies vitiorum, euersio religionis? Longa hic probatione non est opus: quando quæ dico, ea regnum in primis Turcicum, & deinde magna ex parte Pontificium, in quibus, extinctis bonarum literarum studiis, quanta barbaries, quantaque impietas pro dolor consecuta sit, nemo est, qui non videat, abunde & luculenter confirmant, quanquam in hoc aliter renouari tandem cœperunt politioris literaturæ, & liberalium disciplinarum studia: utinam & religio. Ad corruptionem igitur omnium bonorum morum, atque in primis ad veræ Christianæque Religionis labefactionem, imò euersionem, quin consilium Iuliani spectarit, eoque à diaboli spiritu fuerit, dubitari nec potest, nec debet. Quæ cum ita se habeant, consequitur necessario, non nisi à Spiritu Dei afflari illorum Principum & Magistratuum animos, qui huc suas intendunt cogitationes, studia, neruos & vires, ut in suis ditionibus & terris, scholas instituunt, & institutas conseruent: in quibus cum bonæ literæ, liberales artes, honestæque disciplinæ tradantur: tum verò maximè S. literæ, quibus solis vera nititur religio, fideliter explicentur. Neque enim aliunde vel studium hoc esse potest, quam à Deo, omnis boni autore: vel Principes ad tales cogitationes, piosque conatus, quam à Spiritu Dei, à quo vno sunt omnia sancta desideria, pia consilia, iustaque opera, excitari possunt. Et sanè, sicut Satan semper suos habuit Pharaones & Iulianos, quos aduersus populū Dei, spiritu suo malo inflaret, & irritaret: Sic contrà, Deo nunquam defuerunt sui Ezechia & Theodosij, Religiosi Principes, quos ad Ecclesiæ protectionem & conseruationem, vi sui Spiritus excitaret, animaret, impelleret: idque cum antè, tum maximè post aduentum Christi. Pertinet huc suauissima illa, dulcissimaque promissio apud Iesaiam, de felici Noui Testamenti seculo, in quo Reges ac Reginae, hoc est, multi multaque Principes futuri essent Ecclesiæ Christianæ nutritij, atque nutrices: eoque Scholarum in primis, in quibus studia cum humaniorum, tum in primis diuinarum literarum fouerentur, autores, exædificatores, instauratores. Et

Ies. 49. 23 erunt (inquit) Reges nutritores tui, & Reginae nutrices tuæ. Quomodo autem simpliciter Principes alere & nutrire Ecclesiam dicuntur? Certè Ecclesia, & singula eius membra, duabus constant partibus, animo & corpore. Si igitur Principes totius Ecclesiæ, ut intellexit Propheta, eoque & animorum & corporum alendorum & nutriendorum curam suscipiunt, suscipereque debent: manifestè liquet, duplicem esse rationem, quæ subditas sibi Ecclesias, alendas, nutriendas, sustentandasque curare tenentur: quarum vna ad animum, altera ad corpus pertinet. Corpora quidè nutriuntur hisce terrenis & corruptioni obnoxiiis, esculentis, poculentis, vestimentis, habitationibus: sed animi non nisi honestis disciplinis, bonis literis, liberalibus artibus, Philosophia, atque in primis studio & vera cognitione verbi Dei, quod nos ad Deum; in quo solo vita est æterna, deducit, foueri, sustentarique possunt. Cum ergo Deus se effecturum, ut sub regno Christi inter ipsas etiam Gentes inueniantur Reges & Reginae, qui curam Ecclesiæ suscipiant, pollicetur: Ratio autem sustentandæ & conseruandæ

nandæ Ecclesiæ, in eo præcipue posita sit, ut scholæ cum primis instituantur, in quibus cum aliæ disciplinæ, tum maximè sacræ literæ fideliter doceantur, (hinc enim totum etiam ministerium Ecclesiasticum pendet:) manifestum est, Deum hoc Iesaiæ vaticinio, hæc quatuor præcipua capita concludere voluisse: Primum, Hæc esse suam certamque voluntatem; ut nimirum huiusmodi scholæ, in Ecclesia Christi, pro regionum, diuersorumque locorum necessitate, proque Principum ac magistratuum viribus, instituantur, aperiantur, conseruentur, Professoribus benignè tractatis, scholasticisque pauperibus sustentatis. Quod enim simpliciter promittit Deus, illud etiam se omnino velle, manifestissimè testificatur. Quid autem voluntate Dei melius, æquius, præstantius excogitari potest? ita docet Propheta Principes, qui, ut huic diuinæ voluntati subseruiant, operam dant: eos & reuera ex eorum esse numero, qui Ecclesiæ Christi fouendæ ac conseruandæ, ceu parentes à Deo destinati, præparati, ac promissi fuerunt: & eam ob causam tum maxima laude & honore, tum totius Ecclesiæ amore & obseruantia dignissimos esse: quippe qui quod Deo placere, atque ex eius esse voluntate, & ad Ecclesiæ salutem pertinere intelligunt, illud hilari fortique animo amplecti, præstandumque suscipere minimè dubitant: Contrà verò, qui hæc negligunt, eos, sicut grauiter peccant, sic simili honore ut à Deo non fuerunt digni iudicati, ita reuera dignos non esse. Quærât igitur profani & huius seculi Principes sui nominis celebritatem extruendis altis palatiis, extollendis pyramidibus, erigendis colossis, faciendis arcubus, suspendendis signis atque tropæis, ædificandis amplissimis ciuitatibus, muniendis arcibus, cogendis diuitiis, augenda potentia, ampliandis regnis, subiugandis hostibus, propagare: at nostri pii, quos Deus nutritios dedit Ecclesiæ, si in hoc vnum cum primis incubuerint, ut ex voluntate Dei, scholæ aperiantur, Ecclesiæ curentur, doctrina cœlestis propagetur, eoque regnum Christi promoueat, perque totum terrarum orbem extendatur, & sceptrum Euangelij ubique attollatur: ij procul dubio veram eamque perpetuam non solum apud homines, verum etiam apud Deum, gloriam sibi comparabunt. Magnæ quidem sunt laudes Constantini, Theodosij, Valentiniani, (ut de alijs taceam) à multis rebus præclare gestis, ab humanitate, à clemētia, à iustitia, aliisque virtutibus: sed nulla tam celebres eos in Ecclesia reddidit, quàm quòd pro sua in Deum pietate quàm diligentissimè curarunt, ut scholis passim institutis, piisque doctoribus vndique conuocatis, religio Christiana longè lateque propagaretur. Tres etiam inter reliquos habuit Germania eximios Principes, Iohannem Fridericum Saxonem, Philippum Landgrauium Hassiæ, & Fridericum Tertium Palatinum, quos eadem pietas, idemque pietatis propagandæ studium verè illustrissimos celeberrimosque in Ecclesia, atque adeò etiam apud hostes Ecclesiæ reddidit, Friderici certè nostri sanctissimi & verè clemētissimi Principis memoria nunquam interibit, nunquam ex piorum cordibus delebitur, nunquam in Ecclesia extinguetur, ut ut homines impij eius nominis hostes id pro suis viribus facere conentur: quid ita? quia præter summam eius clementiam & virtutem summæ curæ fuerunt opt. Princip. Scholæ, collegia, Ecclesiæ, doctores, pastores, studiosi, ipsum denique totum regnum Christi. Habent in hoc religiosissimo Heroë, cum alij Principes, tum præsertim Filij exemplar, quod imitentur. Est enim hoc (ut ad alterum caput veniamus) proprium officium Principum, quibus salus populorum commissa est, ut Iesaias suis verbis docet, nempe scholas erigere, professores liberaliter sustentare, scholasticos pauperes alere, omnes fouere actueri, quòd talibus etiam scholis nihil Ecclesiæ, totique Reipub. Christianæ salutaris contingere possit. Cum enim ait, futuros eos nutritios Ecclesiæ, annon manifestè docet, tales esse debere? Illorum igitur hoc proprium est officium. Nam in hanc quoque finem à Deo populis præponuntur, illorumque Patres constituuntur, & vocantur, donati magna potentia & autoritate: nimirum, ut quæ ad commune totius Reipub. & Ecclesiæ bonum

OOO

spectant, ea præstanda & perficienda curent quàm diligentissimè: quemadmodum & Apostolus docet, cum ait, Reges & Principes, pro quibus orari iubet, in ea eminentia esse constitutos, ut per ipsos quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & honestate: non obscure significans, boni Principis esse curare, ut publica pax, honestas, pietas in suis terris seruetur, ac promoueat. Quid autem ad hoc publicum bonum promouendum magis conducit, immò quid magis necessarium est, quàm ut publicæ sint scholæ, in quibus ingenia puerorum, sua natura rudia, inculta, praua, impia erudiantur, disciplinis excolantur, virtutibus ornentur, in vera pietate instituantur? quò & ipsi honestè, commodè, & piè viuere discant, & Ecclesiæ porro atque Reipublicæ tandem vsui & ornameto esse possint. Vnde enim viri periti, prudentes, & ad Respub. gubernandas idonei? è scholis. Vnde Medici, qui nostra curent corpora, qui ægrotis faciant medicinam, qui bene valentes valetudinem curare & conseruare doceant? è scholis. Denique vnde viri religiosi, sanæ doctrinæ studiosi, veræ pietatis ac religionis professores, doctores, propugnatores? è scholis. Quid, quòd ne artes quidem mechanicæ perfectæ esse possunt in vrbe, si scholas literarias omnino tollas? Ex lectione enim & antiquorum & recentiorum, qui de his scriptum aliquid reliquerunt, illæ perdiscuntur, perficiuntur. Sine ijs autem primis quatuor generibus hominum, consistere Respubl. Ecclesiæque non possunt. Quare non immeritò Deus promittens Ecclesiæ Christianæ Reges & Principes, qui illius futuri essent nutritij, docuit si ipsorum est curare, ut populi vitam degant tranquillam in omni honestate & pietate; eorundem etiam esse nauare operam, ut scholæ, in quibus discitur, quomodo tranquillè, honestè, commodè pieque viuere possimus, diligenter instituantur. Discant igitur Principes, quid sui sit officij. Neque enim officium Principis est, voluptatibus vel illicitis indulgere, vel honestis plus, quàm par honestumque est, operam dare: rursus etiam non est, otiosi, otiososque aulicos alere: neque est Ecclesiastica bona in adulatores canes, in lupos rapaces, in ignauos asinos, in immundos & obscenos porcos insumere: Sed quodnam est officium? paucis verbis id indicat Dominus, cum eos vocat nutritores Ecclesiæ. Est igitur instar bonorum parentum curam suscipere Ecclesiæ Dei, est sanam doctrinam, puramque religionem tueri, est de bonis pastoribus illi prospicere, est doctos piosque viros scholis præficere, iuuentutem piè & sanctè instituendam curare, atque in hos aliosque similes pios vsus bona Ecclesiastica dispensare. Neque certè aliter facient, si Deum timuerint, si Ecclesiam amauerint, si salutem tuorum populorum non neglexerint, si dignitatem denique suam re ipsa tueri, & conseruare voluerint: quando ideo vocantur nutritij Ecclesiæ, non ut Mundum & quæ Mundi sunt ament, sed ut Ecclesiam fouendam, tuendam, conseruandam, ampliandamque curent: id quod ex scholis bene institutis peculiariter pendet. Neque enim (ut de peculiari vsu & necessitate scholarum Theologicarum, non nihil dicam) hoc de nihilo est, quòd Deus inde ab initio nascētis Ecclesiæ tales scholas institui, & institutas conseruari voluit: sed quatuor grauissimæ huiusce rei causæ mihi fuisse videntur. Prima, ut Prophetica & Apostolica scripta, ne corrumpi, aut penitus perire possent, in illis conseruarentur. Quæ causæ est, cur his scholis solitæ semper fuerint addi bibliothecæ, in quibus præter alios libros, Sacra Biblia Hebraicè, Græcè & Latinè fideliter descripta & ob signata custodirēt. Altera fuit, ut non solum extarent in bibliothecistalia Biblia, verum etiam ut in scholis perpetui essent testes, qui continua successione testificari possent, quinam libri essent verè Canonici, & qui Apocryphi seu adulterini. Tertia fuit, ut hæ scholæ non solum testes essent librorum verè Prophetiæ & Apostolicarum: verum etiam, qui nam esset natiuus & genuinus talium scriptorum sensus, quæue doctrina verè Apostolica. Videmus hoc apud Tertullianum & Irenæum, cum de interpretationibus Scripturarum ad Ecclesias & scholas illas, quæ ab Apostolis plátatæ & apertæ, sine vlla reprehensione ad

ad illa usque tempora pure perstiterant atque sincere docuerant, aduersus hæreticos prouocabant. Postrema causa fuit, ut ex ijs collegijs, qui ad alios docendos, & ad Ecclesias gubernandas idonei essent iudicati, euocari possent. Nihil ergo utilius, nihil honorificentius tum in politia, tum verò maxime in religione, aut à populis exoptari, aut à Principibus, suis præstari potest ciuibus: quàm ut in suis regnis, principatibus, urbibus, terris, tales instituantur scholæ & institutæ conseruentur. Quid enim magis viris bonis expetendum est, quàm ut Respub. & Ecclesiæ, & in ijs sua ipsorum bona, sui liberi, suæ vxores, denique ipsimet, & ad animam, & ad corpus, & ad suas facultates quod attinet, liberi seruentur? Ad hoc autem, ut dictum est, quàm maxime utiles, imò necessariae sunt scholæ, in quibus pij & docti viri iuuentutem ad virtutes informant, veramque doceant pietatem: quando sine ijs neque politia neque religio consistere potest. Viderunt hæc ipsæ quoque profanæ Gentes: ac proinde in hanc etiam rem diligenter incubuerunt. Apud Aegyptios celeberrima fuisse collegia sacerdotum & sapientum legimus. Babylonij, Persæ, & Medi suas semper habuerunt scholas: Vnde Magi, id est, sapientes singulis temporibus prodire, religionemque suorum Deorum conseruare, & ad posteros propagare possent. Græci & Romani hac in parte alijs gentibus inferiores esse noluerunt. Vnde apud illos Stoæ, Academia, Lycæa: apud hos collegia Augurum, Pontificum, aliorumque sapientum. Nouerant enim omnes, ab ipsa natura longaque experientia edocti, nec religionem Deorum suorum, factam testam conseruari, nec Respub. bene administrari, sine viris doctis atque sapientibus posse: hos autem in scholis fieri, & è scholis prodire, & deficientibus scholis deficere, persuasum habuerunt. Hinc itaque factum est, ut tam frequentes apud Gentes omnes non omnino barbaras fuerint literarum ludi, musæa, gymnasia, academia: hinc tanto in honore apud illos semper fuerunt homines literati, non solum Philosophi, gymnosophistæ, magi, augures, mathematici, historici, poetæ, dialectici, rhetores, sed etiam qui prima tradunt elementa linguarum, Grammatici. Hanc ob causam per liberales semper fuisse leguntur in suos professores & doctores: quia nimirum nihil his utilius Reipub. contingere posse, intellexerunt, & certissima experientia didicerunt. Sed quid opus est Gentilium historijs, cum in sacris literis præter Dei constitutionem, tam multa tamque illustria piorum Principum his de rebus habeamus exempla? Deus populo suo constituit, in varijs regni sui oppidis, scholas, in quibus iuuentus Israëlita, & præsertim Leuitæ, qui præ omnibus alijs, sacrarum literarum studijs consecrati erant, erudirentur, cœlestique sapientiæ operam darent: vnde etiam oppida illa, oppida & ciuitates Sacerdotales ac Leuiticæ appellabantur: quia nimirum destinata erant Sacerdotibus & Leuitis, ut in eis haberent scholas atque collegia, vbi docerent & docerentur: quarum scholarum præclarissima, & ceu mater omnium aliarum, fuit Hierosolymitana, in qua docuit etiam Simeon ille senex, de quo apud Lucam, tempore Christi. Ac tempore Eli sacerdotis talia fuisse collegia, atque in primis in Silo, ex historia liquet Samuelis, qui apud Eli à matre fuit puer collocatus, ut institueretur in sapientia cœlesti, seruiretque Iehouæ. Sed postea Samuel ipse cum regeret Israelem, summam adhibuit diligentiam in collegijs studiosorum curandis ac conseruandis: atque ipse præesse voluit celeberrimo, quod erat in Rhama, collegio, nomine Naioth: quod habitacula pastorum significat. Ibi enim habitabant Prophetæ cum suo grege, id est, cum studiosis, qui filij Prophetarum vocari solebant. Ad summam totum illud regnum Israel refertum erat scholis Theologicis, iuxta Dei mandatum, in quibus seruaretur verbum Dei: iudicibus primum, deinde Regibus eas fouentibus. Ieroboamus quidem ille impius apostatarum atque ab Ecclesia & à regno Iuda deficientium rex sicut corruperat religionem, sic etiam simul euerterat scholas, nempe in oppidis decem tribuum: quoniam sciebat, per fidos Prophetas, doctrinæ & religionis puritatem, in illis conseruari:

Sed postea Elias & Elifæus eius discipulus, cum non ignorarent, religionem puram sine scholis fartam teetam seruari non posse, illas instaurarunt: cumque impij Reges vectigalia, quæ debebantur sustentandis scholis, transtulissent partim ad suos priuatos vñs, & partim in adulatores ac ventres, multi boni viri, è suis facultatibus ad studiosorum sustentationem contulisse, meritò & non sine causa creduntur. Illud quoque constat, quò Reges ac Principes fuerunt Dei & puræ Religionis amantiore: illos etiam eò fuisse studiosiores reparandarum scholarum, & in præceptores atque studiosos humaniores, benigniores: quemadmodum post Dauidem & Salomonem, de ipso etiam Iosaphato, Ezechia, Iosia, & alijs pijs regibus, sacræ tradunt literæ. No-uerant enim scholas esse ceu arces, in quibus sana doctrina, puraque religio custodiri possit. Idcirco in ipsa etiam captiuitate, & post captiuitatem, cum populus per varias gentium terras esset dispersus: curabant tamen primores populi cum Prophetis, vt etiam inter Gentes aliquot haberent Scholas ac Synagogas, in quibus legeretur Moses, populusque in doctrina cœlesti instituatur: atque hoc est, quod Iacobus in Actis 15. dixit, Moses ab ætatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet, qui ipsum prædicent in synagogis: loquebatur autem Apostolus de ciuitatibus Gentium in Syria, Cilicia & Asia, in quibus adhuc per id tempus habitabant Iudæi non pauci, suasque habebant synagogas: proinde dicit in præsentia, qui ipsum prædicent: id quod illis etiam verbis illustratur, quibus ait Lucas in Actis de Paulo ad Gentes profecto, illis-que prædicante, illum solitum fuisse ingredi in ipsas Iudæorum synagogas & docere, cumque illis disputare: tanta fuit semper cura scholarum in populo Dei, vt nunquam permiserint Iudæi, & qui inter illos, primores erant, eas penitus interire: labefactatas verò, semper instaurarint. Confirmant hoc ea, quæ etiam post Christum legimus in Actis, de collegiis Libertinorum, Cyrenensium, Alexandrinorum, Cilicum & Asianorum, hoc est, Iudæorum, qui in illis nati erant regionibus, in ipsa vrbe Hierosolymorum collectis. Quid verò Ioannes Baptista? quid Christus ipse Dominus noster? Corrupta iam magna ex parte doctrina cœlesti & cultu per Sacerdotes & Phariseos, Iohannes prior aperit scholam Euangelicam, renouat doctrinam de pœnitentia, prædicat Euangelium de præsentia Messia, promissiones explicat, discipulos instruit, & mittit ad Christum: Christus porrò colligit discipulos, primum duodecim, deinde septuaginta, atque illos sibi peculiariter instituendos in doctrina cœlesti suscipit. Neque enim dubium est, quin præter publicam illam, quam omnibus de pœnitentia & fide, deque regno cœlorum prædicabat doctrinam: peculiariter seorsum multa secretiora docuerit, tum Apostolos, tum alios, quos ad prædicandū missurus erat: id quod etiam inde apparet, quia sæpè post sermonem habitum ad plebem in parabolis, accedebant seorsum Apostoli, eumque, vt sibi parabolas aperiret, rogabant: nec non & inde idem manifestè liquet, quòd Christus illis non semel dixit, Num & vos sine intellectu estis? hoc est, vos, qui mecum perpetuò estis, quos peculiariter doceo, quæ alij adhuc non possunt percipere, vos, inquam, etiam stulti, ac dementes estis? Fecit autem officium doctoris Christus non solum ante mortem, verum etiam post resurrectionem: cum per dies 40. discipulis suis, quos ad Gentes missurus erat, differuit de regno Dei. Dubium enim non est, quin tunc magna & admirabilia mysteria illis peculiariter reuelarit: quemadmodum etiam aperuit illis mentem ad intelligendas Scripturas, vt referunt Euangelistæ. Neque Apostoli hac in parte suum neglexerunt officiū: sed suo potius exemplo Gentiles docuerunt, quid porrò esset faciendū. Vbiq; enim colligebant discipulos, & scholas aperiebant. Timotheum fuisse peculiariter institutū à Paulo, liquet ex altera ad Timoth. Epist. Hoc certè factum non fuit in sola Ecclesia, & in sola ad omnes prædicatione, sed peculiariter ac seorsum in scholis. Confirmatur hoc ex ijs, quæ ad eundem Timoth. scribit, dicendo, quæ audiui à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui erunt idonei, vt alios

Act. 15.
21.

Matth.
15. 16.

Luca 24.
45.

2. Tim. 2.
2.

alios

alios quoq; doceant. Non loquebatur ergo hic de publica in templo Euangelij prædicatione, qua omnes tam idonei ad docendum, quàm non idonei docentur: sed de peculiari in scholis, vbi illi diligentiori sollicitudine & studio, qui alios possint porro docere, instituuntur. In Ecclesiasticis quoq; historijs abundè videre est hanc Apostolorum & eorū discipulorum curam, cōstituendi nimirum scholas vbiq; locorum, vbi iam Ecclesiæ erant ædificatæ, & illis viros singulari pietate & eruditione præditos præficiendi. Hinc illæ celeberrimæ scholæ, Antiochena, Alexadrina, Constantinopolitana, & aliæ quàm plurimæ, in Oriente primū, & deinde in Occidente: quæ etiam amplissimis honorariis, priuilegijs, omniq; beneficiorum genere fuerunt à pijs Imperatoribus & Regibus donatæ, vt in illis pura continuaretur doctrina. Hinc tertium caput huiusce vaticinij abundè confirmari potest: Illud autem est eiusmodi: nimirum, non solū voluntatem Dei esse, vt scholæ legitimæ, puræ inter Christianos habeantur, nec solū hoc efficere & curare, officiū esse magistratus, nec deniq; quidquam ijs vtilius contingere posse Ecclesiæ Christi: Verū etiam hoc omnino futurū fuisse & esse in finem vsq; mundi. Deum enim subinde excitaturum tales Principes, qui sint nutritores Ecclesiæ, prædixit Propheta, Erūt, inquit, erunt Reges nutritij tui, & Regina nutritices tuæ. Veritas huius promissionis certissima quidē est, propter auctoritatem promittentis Dei: sed ex perpetua etiam historiarum serie in hac vsque tempora non minus abundè, quàm luculenter demonstrari posset, si aut institutū nostrum hoc postularet, aut breuitas temporis pateretur, aut res ipsa esset ignota. Nam, vt de Principibus & Regibus veteris Testamenti, deq; Iohanne Baptista, Christo, & Apostolis, de quibus antè diximus, nihil amplius dicamus, quando de his etiam non loquitur Propheta, sed de Gentibus: quis nesciat, iam inde à temporibus Apostolorū nunquam inter Gentes defuisse viros magnos atq; fortes, qui cū alias disciplinas, tum maxime Ecclesiæ doctrinam per sinceros doctores propagandam conseruandamq; summa diligentia curarūt? Ecclesiasticæ historiæ, codices Iuris Ciuilis & Canonici, pleni sunt testimoniorum, quàm diligētes fuerint Reges, Imperatores, Principes Christiani in scholis constituendis, quàmq; liberales in Professores, studiosorumq; collegia: quantæ deniq; illis fuerit curæ, vt ciues, non solū pacificè & commodè viuerent, verū etiam vt in bonis literis, virtutibus, pietate, accuratissime instituerentur. Collegia ipsa Canonicorum, monasteria Monachorum, amplissima, multisq; libris refertissima apud ipsos bibliothecæ, hoc idem luculentissime docent ac prædicant. Quid enim illa cœnobita fuerunt aliud, quàm scholæ, studiosorumq; & Theologorum collegia: qualia & in veteri Testamento fuerant Nazaræorum, Leuitarum & Prophetarum? Et si verò seculis permultis grauiter peccatum est in re ipsa, dum loco verorum doctorum sophistæ, & loco sincerorum Theologorū matæologi scholis præfecti fuerunt, bonisq; Ecclesiasticis abusi sunt ad barbariem, ad voluptatem, ad impietate: studium tamen piorum Regum & Principum, quorū animus erat, vt vera Religio retineretur & propagaretur, non potuit esse, nisi ex Deo: vt interim taceam, subinde aliquos fuisse à Deo excitatos præpotētes viros, qui donati vera cœlestis doctrinæ cognitione, inuitis etiam Antichristis, & reluctantibus Principibus imperitis, heroico animo curarunt, vt scholæ instaurarentur, sana doctrina restitueretur, & populi vero verbi Dei pabulo alerentur, nutrirentur, sustentarentur. Vidi-mus hoc nos, & videmus etiam nunc, Dei beneficio, in Germania, in Gallijs, in Anglia, in Scotia, in Polonia, in Vngaria, inque alijs varijs regionibus multos iam annos obtinuisse: ita vt de perpetua huius vaticinij veritate, dubitari minimè possit, Erunt Reges nutritij tui, & Regina nutritices tuæ. Annon hoc promissum Dei beneficium (vt alijs omisissis ad nos veniamus) & percepimus nos in hoc Palatinatu per multos annos, & percipimus adhuc? Non est hoc certè ascribendum humanæ virtuti, sed promissioni bonitatisque diuinæ, quod tales nacti simus Principes, quales partim habui-

mus, partim habemus: singulare namque hoc Dei donum est. Si enim omnis potestas à Domino Deo est, & per eum Reges regnant: multò magis singulari gratiæ Dei acceptum nos ferre debemus, quòd in hac tanta rerum confusione, & Ecclesiarum turbatione, hunc magnanimum & fortem dederit nobis Principem, Iohannem Casimirus, Comitem Palatinum, Ducem Bauariæ, Dominum nostrum clementissimum; qui in sua nos foueat & tueatur ditione: qui puritatem religionis ab optimo Patre relictam & commendatam, conseruatam omnino velit: qui hanc ob causam omnibus suis Ecclesijs, de optimis ministris prospici curauit: qui quoscunque potuit præceptores in sui Principatus scholis, retinuit: qui pios ministros & studiosos, religionis causa hinc inde pullos, quotidie, vt fieri potest, recipit, sustentatque pro sua virili parte: qui denique scholam hanc, collectis vndique doctis viris, in hac amœna & saluberrima vrbe, magnis sumtibus instituere voluit: vnde, & qui Reipub. in rebus politicis, & qui Ecclesiæ, in rebus ad Religionem pertinentibus, aliquando inseruiant, euocari possint. Quid cupimus, quid volumus amplius? Quid igitur restat? Restat id, quod quarto loco eadem prophetica promissio nobis faciendū esse docet: nempe, vt primū Deo opt. max. gratias agamus, pro hoc singulari & incomparabili beneficio, quòd sicut veraciter promisit, sic etiam re ipsa liberaliter præstat. Beneficiorum autem collatio, animi gratitudinem, gratiarumque actionem exigit. Deinde, vt pro incolumitate, & salute Illustriss. Principis nostri, precemur Deum Patrem, per Iesum Christū, vt eum regat suo Spiritu, in omnibus cogitationibus, desiderijs, consilijs, actionibus, tueatur aduersus omnes hostes, incolumem diu nobis & Ecclesiæ, seruet, illiq; & bene eius cœptis benedicat ac foueat. Opera enim Principum, ad nos totamq; Ecclesiam nutriendam vtitur Deus. Ergo secundum Deum, erga hos quoq; nutritores Principes, grati esse debemus. Eadē Prophetica promissio exigit, vt quando in hanc scholam vocati sumus omnes, alij ad docēdum, alij ad discendum: diligentes simus omnes, tam professores, quàm studiosi, in suo quisque officio. Nam & qui docent, fideliter diligenterq; docere: & qui docentur, attentè audire, studereque debent. De Doctoribus & Præceptoribus, nihil est, quod dicam: quoniam ita perspecta est illorum non solū eruditio, verū etiam diligentia in docendo, pietas atque fides: vt facturus sim illis iniuriam, si multis ad officium faciendum adhortari velim. De me tantū aliquid vt dicā, hoc polliceor, me daturum operam officio meo faciendo: vt neque fidem, neque diligentiam in me vllam desideraturos vos esse confidam. Methodum eam mihi delegi, quæ omnino ad verè docendum necessaria est. Duplex ea cū sit, *συνθετική & ἀναλυτική*: mihi quoque sacras literas interpretaturo, Theologiamque professuro, vtraq; vtendum est, sed suo quaq; loco. In explicandis scripturis *ἀναλύσθαι* opus est: qua demonstrato in primis auctoris scopo atque proposito, ad quod omnia, quæ scribit, referuntur, totum corpus libri seu Epistolæ in suas partes, totaq; doctrinæ summa in certas propositiones, & propositionum cōfirmationes tanquam in sua membra resoluatur: In colligendis verò locis Theologicis è sacris literis iam explicatis, *συνθεσις* necessaria est, qua ex contextu, quem interpretamur, varias de eodem dogmate propositiones, earumq; confirmationes, distinctè, certoque, & ad docendum accommodato ordine, in vnum colligere atque componere docemur, alijs etiam, aliundeq; adductis, si opus sit, probationibus. Sumus autem, vt prudentissimè docuit Augustinus faciendum esse, scripturas per scripturas, explicata genuina verborum & locutionum significatione, interpretaturi: ad analogiam regulamque fidei omnia examinando, atq; etiam, quoad eius fieri poterit, à pia vetustate non recedendo. Neque tamen obstringi volumus, (quia neque expedit, neque licet,) interpretationibus Patrum: quemadmodum etiam, illas non facile aut temere reijcere solemus. Regulam ipsimet Patres nobis præscribunt, quantum debeamus ipsorum scriptis tribuere: nempe, si quid consentaneum sit cum sacris literis, illud esse retinendum: si quid

si quid dissimilaneum, illud reiiciendum. Legantur hæc de re Canones non pauci in Decreto, distinct. 9. Regulam hanc seruauit ipse Augustinus, & seruandam esse docuit: idcirco (vt ibidem Can. 10. habemus) ita concludit, Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum: nempe liberos, vt probent probanda, & improbent improbanda. Eatenus autem aliquid in Theologia probari potest, quatenus cum Sacris literis consentaneum est. Absit verò à nobis, & à mente oreque cuiusque Christiani blasphemia illa, qua nonnulli scribunt, Sacras literas ita obscuras & ambiguas esse, vt earum sensus non ex ipsis scripturis, sed ex auctoritate Ecclesiæ petendus sit: quasi verò Deus in Sacris literis, quas Diuus Gregorius vocat Epistolam Dei ad omnes missam, aut noluerit, aut non potuerit ita loqui, vt à nobis intelligeretur. Non reiicimus tamen, vt diximus, Patrum, aliorumque piorum doctorum interpretationes: sed seruata ea regula, quam modò ex Augustino adduximus. Solis enim Scripturis simpliciter credendum est. Atque hæc de mea docendi ratione. Neque porro causæ sunt nullæ, cur, cum mihi iniunctum sit officium, nouum Testamentum interpretandi, Epistolam ad Ephesios in ipsis scholæ incunabulis, vobis explicandam susceperim: quarum obseruatio non parum & ad rem nostram facere, & ad Epistolæ ipsius tum summam percipiendam, tum dignitatem maiestatemque contemplandam pertinere videtur. Sunt enim omnes ex Epistola ipsa, cum nostris collata temporibus, desumptæ. Ac prima quidem à scopo Apostoli in tota hac Epistola sumitur: Is autem fuit, vt Ephesinam Ecclesiam, & singula eius membra ad perseuerantiam constantiamque in fide Christi, & in obseruantia mandatorum eius, & verò etiam ad incrementum in vtraque pietatis parte faciendum, adhortaretur atque animaret: nec sinerent se à doctrina Apostolica semel recepta, ab illo mortalium propter suas persecutiones & vincula, aut propter multitudinem doctorum aliter docentium, & auctoritatem abduci. Quid autem hac adhortatione temporibus nostris congruentius magisque necessarium esse potest? Videmus enim quanta sit falforum doctorum multitudo, atque auctoritas: & contra, quam graues vbique sint piorum doctorum & pastorum, eorumque discipulorum persecutiones ac cruces. Fuerit igitur operæpretium in hac Epistola obseruare rationes & argumeta, quibus ad perseuerantiam in fide, & in vera obedientia excitari possimus. Pertinet enim ad nos hæc Epistola non minùs, quàm olim ad Ephesios. Altera causà à materia, quæ in hac continetur Epistola, petita est. Est hæc Epistola ceu Epitome totius Doctrinæ Christianæ & omnium ferme præcipuorum locorum, qui in Theologia tractari solent, breue compendium. Confirmaturus enim Apostolus Ephesios, quos ipse instituerat, in vera doctrina Euangelij hortaturusque ad constantiam in ea fide, quam à se didicerant, summam totius doctrinæ reuocat illis in memoriam: initio factò à Deo Patre à quo tanquam à fonte omnia in nos profluunt beneficia, omnesque spirituales benedictiones, per Christum, & propter eum: quorum beneficiorum primum, reliquorumque omnium fundamentum est ipsa æterna & gratuita nostri electio ac prædestinatio facta in Christo, tanquam omnium nostrum capite. Ab hoc primo transit ad alterum, nempe ad redemptionem, quatenus in persona Filij perfecta fuit: tum ad redemptionis ipsius dispensationem, quomodo nimirum illa nobis communicetur, eiusque fiamus re ipsa participes, per Euangelij scilicet prædicationem, si fide illud amplectamur, firmumque in finem usque retineamus: & quidem electos omnes constanter illud retinere, quòd ob signati sint Spiritu promissionis sancto, qui est arrhabo certæ hæreditatis nostræ cœlestis, in nobis permanens usque in diem perfectæ & consummatæ redemptionis, quæ futura est in fine mundi. Interim tamen docet, operam esse dādam, idque & precibus & exercitiis fidei ac charitatis, studioque bonorum operum: vt crescamus in vera pietate, in cognitione Dei ac Christi, quem Pater toti Ecclesiæ caput dedit atque constituit. Nos quidem omnes natos esse in peccatis, & filios iræ,

seruatos tamen per gratiam Dei, fideq; donatos, & nouas creaturas effectos in Christo, vt in bonis operibus, ad quæ creati sumus, ambulemus: Ideo verò legem mandatorum, in multis decretis positam, abrogatâ esse, vt vterque populus, Iudæus & Gentilis, diruta illa macerie in vnum coirent, fierentq; vnus nouus homo per eundem Spiritum sanctum, sub vno capite Christo, à quo vitam & incrementum accipiamus: qui etiam in hunc finem, postquam ascendit in cœlum, supra omnes angelos exaltatus, misso Spiritu sancto, publicum Ecclesiæ ministerium stabilivit, ad instaurationem nimirum Sanctorum, & exedificationem corporis sui, quod est Ecclesia, & vt crescamus in eum per omnia, qui est caput, nempe Christum: nec ambulemus amplius sicut reliquæ gentes, in peccatis, & in vanitate sensus nostri, sed exuentes indies magis ac magis veterem hominem, induamus nouum, & in sua quisque vocatione digne ambulet. Ad summam habemus in hac Epistola locos fermè omnes, vt antea diximus, Theologiæ præcipuos: de Deo vno, in tribus personis subsistente, Patre, Filio, & Spiritu sancto: de Dei omnipotentia, sapientia, bonitate, misericordia, gratia: item de æterna & gratuita prædestinatione: de creatione mundi: de angelis, diuersisque illorum gradibus, supra quos omnes exaltatus est Christus: cap. 1. Ad hæc locum de peccato originali & actuali, deque eius causis & effectis: de promissionibus salutis futuræ in Christo, deque fœdere inito cum Patribus: de Lege, deque eius abrogatione, cap. 2. De aduentu Christi in carne in plenitudine temporum, deque duabus eius naturis, vera Deitate & vera humanitate in vna persona coniunctis, de vera eius morte, resurrectione, veraque ac reali in cœlum ascensione, cap. 1. 2. 4. Item de redemptione & reconciliatione in persona Christi peracta, cap. 1. 2. & alibi. De huius redemptionis salutisq; æternæ communicatione: eam enim offerri per Euangelium, recipi per fidem, obsignari per Sp. Sanctum, cap. 1. 2. 3. & alibi. Recipi, inquam, per fidem viuam, quæ absque studio bonorum operum esse non potest: De fide igitur vera, deque bonis operibus speciatim agit, cap. 2. Item de Euangelij prædicatione, cui fides innititur, cap. 1. 2. 3. eoq; & de ministerio Verbi, deque ministris ad hoc delectis & vocatis, cap. 1. 2. 3. 4. De Sacramētis item, quibus non solum promissiones Euangelij obsignantur, sed etiam res per ipsa significatæ exhibentur credentibus: mundari enim ait Ecclesiam lauacro aquæ in verbo, cap. 5. De Ecclesia igitur, quæ constat ex electis tam Gentibus, quàm Iudæis, & quæ sola re ipsa particeps sit redemptionis, salutisque æternæ, agit cap. 1. 2. & 5. De vera vnione Ecclesiæ, & singulorū fidelium cum Christo, cap. 2. & 5. De perpetuo pietatis incremento, perseverantiaque Sanctorum in Christo, cap. 1. 2. 4. De vnitæ Ecclesiæ per concordiam inter nos seruanda, de vita Christiana, deque variis virtutibus persequendis, & vitiis fugiendis, cap. 4. 5. 6. De summa pietatis Christianæ, quæ à nobis requiritur, eam in fide in Christum & charitate in sanctos consistere, cap. 1. Denique de resurrectione à mortuis, de iudicio vniuersali, in quo quisque recipiet à Domino, quidquid fecerit boni vel mali, cap. 6. De ascensione item piorum in cœlum, deque vita æterna, ad quam omnes, qui in Christum credimus, sumus electi & vocati, vbi in perpetuum laudaturi sumus Dominum: omnia enim reliqua, & præcedentia beneficia in hunc finem spectare, vt simus in laudem gloriæ gratiæ ipsius, laudem, inquam, perpetuam, cap. 1. & 2. Cùm igitur Apostolus summam totius doctrinæ Christianæ hac breui Epistola complexus sit, Ego verò in hanc scholam, vnâ cum aliis præclaris viris, vocatus sim, vt pro his donis, quæ Deus pro sua benignitate in me contulit, sacras literas interpretâdo, Theologiam non minus breuiter, quàm perspicuè doceam: iudicauim me facturum operæ pretium nostris auditoribus, si hanc verè diuinam Epistolam initio prælectionum nostrarum interpretandam susciperem, locosque Theologicos, qui in singulis capitibus sese offerunt, breuiter explicarem. Hæc est altera instituti mei causa. Accedit tertia, nimirum, quòd si qua alia Pauli Epistola, hæc certè ad Ephesios, firmissima

firmissima & non pauca continet argumenta aduersus pestilentissimas hoc tempore ex inferis reuocatas hæreses: aduersus nouos Arianos, Nestorianos, Eutychianos, Marcionitas, Pelagianos, quemadmodum suis, Deo fauente, videbimus locis. Quid enim clarius aduersus Pelagianos, hostes gratiæ Dei, cap. 1. & 2. vbi de gratuita Electione abundè disserit, de quæ gratuita redemptione, & ad Christum vocatione ac iustificatione? vbi etiam totam nostram salutem, & quidquid ad illam pertinet, siue fides, siue opera, non ex nobis, sed ex mera Dei gratia esse demonstrat? Quid efficacius aduersus Nestorianos illo, quod scribit cap. 4, eundem planè esse, seu eandem personam Filij Dei, quæ ascendit in cælum, quæ etiam prius descenderat de cælo. Quidue etiam magis refellit somnium de cælo vbiquitatio, quàm antithesis, quæ ibidem habetur inter inferiores partes terræ, & inter supremū cælum, in quod ascendit Christus? Nihil quoque clarius explicat, quid sit sedere Christum ad dextram Patris, quàm locus ille qui habetur cap. 1. vbi docet, Christum non antè sedisse ad dextram Patris, quàm resuscitatus à mortuis ascendit in cælum: & quidem sedere eum non vbique, aut in terra, sed in supercælestibus locis: atque hoc nihil aliud esse, quàm eum factum esse Dominum & Regem vniuersorum, constitutum supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem: id est, non solum supra omnes homines, sed etiam supra omnes Angelorum ordines, quatenus scilicet mediator est: non ergo humanam in Christo naturam exæquatam esse naturæ diuinæ, qua Filius semper fuit æqualis Patri, sed tantum supra omnia creata, supraque omnes angelos, exaltatam in persona mediatoris. Non abs re ergo hanc hoc tempore Epistolam enarrandam explicandamque suscepimus. Addam & hoc, Epistolam hanc plenam esse consolationum aduersus omnia tentationum genera. Iis enim opus habebant fideles in Ecclesia Ephesina, præsertim cum scirent, suum Apostolum Romæ esse captiuum: quæ etiam causa est, cur ad eos miserit Tychicum. Non minus certè nos egemus consolationibus, qui propter Christum, veritatemque doctrinæ, varijs premimur calamitatibus, diuersis expositi sumus periculis, domi denique & foris affligimur. Fuerit igitur omnibus, Epistolæ huius lectio & explicatio, vt confido, vtilissima: quod vt faxit Dominus, eum ex toto corde precor atque obsecro. Etsi verò neque de voluntate ac desiderio studiosorum nostrorum dubitare me sinūt, tum pietas in Deum, quam hætenus constanter professi sunt, tum amor virtutis bonarumque literarum, quem non paruo progressu in illis facto, luculentissimè nobis omnibus testatum fecerunt: rem tamen haud ingratam me illis facturum arbitror, si paucis eos rogem, vt quando tale ac tantum à Deo acceperunt beneficium, nempe, vt sua hinc continuare studia, atque in primis veræ pietati, sinceroque sacrarum literarum studio operam dare possint, ne sint in Deum ingrati, nèue hoc præsentibus abutantur beneficio. Agite ergo adolescentes carissimi, si Deum timetis, si vestram salutem curatis, si parentes colitis, si patriam amatis, si denique Principem scholæ autorem, omnium patronum, mæcenatem vestrum obseruatis: incumbite, vt facitis, in studia ingenuarum artium, atque in primis in studium pietatis, Christianæque sapientiæ, cuius potissimum causa, aperta nobis est hæc schola. Nihil hac re gratius Deo, nihil vtilius Ecclesiæ, nihil vobis salutaris, nihil denique amicis & patriæ iucundius præstare potestis. Profani homines, Aegyptij, Chaldæi, Græci, Romani, alique populi, tanti semper fecerunt humanæ sapientiæ virtutē, vt huius comparandæ causa, nihil non egerint, nihil non sint perpeffi laborum, vigiliarum, peregrinationum, sumtuum: vt alij è Græcia in Aegyptum, alij ex Italia & Africa, in Græciam, & aliunde alij in alias regiones, huius duntaxat rei causa, migrasse legantur. Viderunt enim, primum quidem, id per se honestum esse, & libero homine dignū: Deinde ea re, reliquas virtutes, prudentiam, animi fortitudinem, iustitiam, probitatem comparari posse: in ea denique veras sitas esse diuitias, quas magni semper fecerunt omnes gentes; atque vt vno verbo dicam, illa

illa sapientia iudicarunt hominem verè liberum, felicem, beatumque fieri posse. Neque prorsus malè iudicarunt, nempe, si humanas tantùm virtutes, vel potius simulacra (vt Augustinus vocat) virtutum, humanamque & huius vitæ felicitatem, vel potius vmbra quandam felicitatis spectemus. Videmus enim, quot quantæque virtutes, quot quantaque bona consecuta sint illos, qui humaniorum literarum, humanæque Philosophiæ studia ex animo & seriò amplexi, diligenterque sunt persecuti, tum inter Græcos, tum inter Latinos insignes: Socrates, Plato, Pythagoras, Aristoteles, Stoici, & horum similes inter Græcos: Iulij, Marij, Catones, Cicerones, & alij inter Latinos, vt de alijs taceam populis ac Gentibus. Sed quid illa ad ea, quæ confert sui studiosis diuina sapientia in sacris literis comprehensa? Primò enim ipsa vera sapientia, quæ in vera Dei rerumque diuinarum cognitione posita est, è sacrarum literarum studio & intelligentia comparatur: sacras literas (ait Paulus) nosti, quæ te possunt reddere sapientem ad salutem, id est, in omnibus ad salutem necessarijs. Hæc verò sapientia, hominem reddit verè liberum, Si manseritis in sermone meo, veritas liberabit vos, inquit Christus: efficit verè diuites, Ditati estis in Christo omni sermone & cognitione: verè fortem, Scripsi vobis adolescentes, quia fortes estis, & verbum Dei habitat in vobis: verè iustum, Omnis scriptura utilis est ad institutionem, quæ est in iustitia: verè temperantem, quia verbū Dei crucifigit veterem hominem: & nouas efficit creaturas, Renati (inquit) estis ex semine immortali per sermonem Dei. Denique verè nos beatos reddit, Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud, dicebat Christus: Et Dauid, O beatum virum, cuius voluntas in lege Domini, & qui in lege eius meditatur die ac nocte. Non sine causa ergo Apostolus tanto studio & diligētia hortatus est Timotheum, virū alioqui in sacris literis exercitatissimum, vt attenderet lectioni sacrarum literarum. Quid ita? quia inde pendet omnis vera sapientia, vera prudentia, vera iustitia, vera fortitudo, vera temperantia, omnis vera virtus, veræ diuitiæ, vera felicitas atque beatitas. Omnis scriptura est diuinitus inspirata, & utilis ad docendum, quid? omnem veritatem: ad redarguendū, quid? quosuis errores: ad corrigēdum, quid? quosuis malos mores & vitia: ad instituendū, quæ in re? in omni iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè instructus. Quid vis amplius? Adde & illud Apostoli ad Rom. Omnia, quæ scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, vt per patientiam & consolationē scripturarum, spem habeamus. Admirabilis enim est, omnemque superans sensum, consolatio, quam sacræ literæ suis studiosis adferunt. An non ergo in illius rei studium incumbemus, quæ nos veris afficit consolationibus, in omni tentationum & afflictionum genere? Hanc consolationem præbet sacra scriptura: quæ aduersus omnes hostes nos fortissimos reddit? Sacra scriptura vera nos donat fortitudine: quæ nos prudentes, sapientes, bonos, diuites, felices, beatosque efficit? E sacra scriptura hæc omnia hauriuntur quàm copiosissimè. Iactant quidem Philosophi multas & magnas virtutes, multaque rectè definiunt: sed quantum absunt à scopo, qui Deum verè non cognouerunt, nec Spiritum eius perceperūt? Definiunt virtutem, esse habitum bonum, qui bonum efficiat eum, in quo talis inest habitus: nihil autem esse bonum, nisi quod honestum est & rectum: ac proinde illos prædicarunt bonos, qui pluris constanter fecerunt honestum & rectum, quàm omnes pecunias, quàm opes, quàm imperia, quàm voluptates, quàm vitam ipsam: quales fuere apud Romanos Romuli, Pompilij, Bruti, Horatij, Decij, Fabricij, Marij, Scipiones, & alij. Verùm, quid obsecro propriè honestum & rectum dici potest: nisi quod Deo placet, & diuinæ voluntati est consentaneum? Hæc verò Dei voluntas vbinam verè declaratur? In solis sacris literis: Hoc est opus Dei (ait Christus) vt credatis in eum, quem misit ille: Item: Hæc est voluntas Patris mei, vt omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam: Quis vnquam Philosophorum hoc nouit. Adde, quòd non solum in ijs sacris literis perfectè

Et reuelatur Dei voluntas, verum etiam Euangelio tantum credentibus donatur Spiritus sanctus, quo quæ Deo placent, & ea re, quæ verè honesta & vera sunt, tum velle possint, tum perficere. Multa quoque speciatim de iustitia, tam vniuersali, quam particulari scripta reliquerunt: sed nulla est vera coram Deo iustitia, nisi quæ per fidem in Christum habetur: hanc verò ubi inuenies, nisi in sacris literis? De animi fortitudine gloriati sunt permulti, & Philosophi, & nobiles Romani: & tantam vim huius virtutis esse dixerunt, ut qui ea munitus sit, huius licet crucietur corpus, ipse tamen animus nunquam possit cruciari: Rectè sanè. Sed quem mihi dabis ex eorum omnium numero, qui Christum ex Euangelio non nouerunt, qui verè hac donatus virtute fuisse dici possit? Accipe verò Apostolos & Prophetas, aliosque Christi martyres, tam mulieres, quam viros, tam puellas, quam pueros, quanta in illis animi fortitudo, quanta constantia? quos non pro gloria mundi, sed propter nomen Iesu Christi ita constantes & fortes fuisse legimus: ut nullæ eos presserint miseriæ, nullæ terruerint minæ, nulli exanimarint metus, nulla tormenta, nullæque fregerint mortes. Sola enim fides in Christum, ea est virtus, qua non solum mundum, sed etiam nos ipsos vincimus. Hæc est victoria, quæ vincit mundum (inquit Ioannes) Fides nostra. *1. Ioh. 5. 4.* Hac enim, quæ certè non ex libris Philosophorum, sed ex auditu verbi donatur, nouerunt filij Dei, innatas sibi refrenare cupiditates, spernere voluptates, tenere iracundiam, coercere auaritias, & ceteros compescere morbos, mortem contemnere ac superare, inque afflictionibus ipsis gloriari. Legitote catalogum virorum verè fortissimorum atque heroicorum, apud Apostolum ad Hebræos, qui sola fide ex auditu *Hebr. 11.* verbi diuini excitata muniti, tam multa, tam magna, tamque præclara præstiterunt veræ virtutis ac fortitudinis opera: ut vix credi ab hominibus possint. Rectè etiam dictum est à Philosophis, illum verè diuitem esse, cui nihil deest: illi autem nihil deesse, qui forte sua contentus est: eum autem contentum esse, qui nihil præterea cupit, aut querit: Sicut contrà, illum verè pauperem esse definierunt, qui semper eget, eum verò semper egere, qui semper cupit, qui semper optat, qui semper querit, & nunquam sua est forte contentus. Cui enim quæsito semper opus est, hunc perpetuò etiam egenum esse. Sed vnde hæc *ἀντιρροια* comparatur? E sacris certè literis: vnde & vera est pietas, si vera à nobis fide legantur, audiantur, in animum reponantur. *ὁ δὲ θεὸς ἐστιν ἐν ἡμῖν καὶ ὁ ἀντιρροῖας* coniunxit Apostolus: pietatis autem fundamentum est Fides: Fides verò ex auditu est: auditus autem per verbum Dei. Veræ ergo *1. Tim. 6. 6.* diuitiæ, sacrarum literarum comparantur auditu atque lectione: & is verè diues est, *Rom. 10. 17.* cui suppetit copia cognitionis, intelligentiæ, & sapientiæ diuinæ: qua fit, ut pij sua sint semper forte contenti. Cui verò tam deest, quod habet, quam quod non habet: cuius cupiditatibus saturandis nullæ vnquam sufficiunt facultates: qui propter auiditatem pecuniæ, nullū quæstum iudicat turpem: qui accumulandis diuitijs, quò iurare, quæue iniuria semper inhiat, fraudando, decipiendo, mentiendo, poscendo, paciscendo, auferendo, eripiendo, spoliando, expilando: hunc quis audeat verè diuitem appellare, omnium miserrimus & pauperrimus cum sit? veros thesauros adfert Dei *Ephes. 3. 8.* & Christi cognitio: hanc verò sacræ literæ. Addam ad extremum etiam hoc, quòd sapientes huius mundi, de vera libertate, qua nihil felicius esse iudicatur, scriptum reliquerunt: eam demum veram esse libertatem, si quis viuatur, ut vult: nihil autem velit, nisi quod rectè iudicat: ac proinde eum verè liberum esse, qui non ex iussu & imperio affectiue carnis, sed ex recto mētis iudicio, voluntateque libera, honesti ac recti amate, cupiditatibus autē malisque affectionibus imperate, viuit. Pulchrè sanè, & rectè, hæc etiam omnia. Quæ est enim eorum vel Imperatorum, vel Regum ac Principum libertas: qui etsi rerum omnium huius mundi potiantur, innumerabilibusque populis dominantur, suis tamen cupiditatibus imperare non possunt? Liberum certè omnes sapientes eum esse negarunt, iniquissimum verò potiùs seruum esse pronunciarunt, cui

cui vxor imperat, cui leges imponit, præscribit, iubet, vetat, quod videtur: qui nihil imperanti negare potest. cui, si vocat, veniendum: si eiicit, abeundum: si poscit, dandum: si minatur, extimescendum est. Si hoc verum est: quo nomine ergo illos appellandos putamus, qui omnibus carnis cupiditatibus parere coguntur? quibus peccatum ita dominatur, vt non obedire concupiscentijs eius non possint? quibus denique nihil aut cogitare, aut velle, aut facere liberum est, nisi quod poscit, quod iubet, quod imperat caro, dura, v. e. h. e. m. e. n. s., & imperiosa Domina? Sic senserunt de vera libertate, veraque seruitute, ipsi etiam huius seculi sapientes: Et procul dubio rectè. Consentanea enim scripserunt cum sacris literis nostris, in quibus Christus ait, illum esse seruum peccati, qui facit peccatum: & eum demum verè liberum esse, quem Filius hominis liberet, nempe à seruitute peccati & Satanæ. Ceterum quem mihi dabis ex omnibus mundi sapientibus, recta Dei cognitione, & spiritu Christi destitutis, qui verè liber fuerit, & non potius mancipium peccati & Satanæ? De omnibus gentibus à Christo alienis loquitur Apostolus, cum ait, principem potestatis huius aëris, id est, Diabolum, agere in filiis contumacibus: inter quos & nos (inquit) olim conuersati sumus, in cupiditatibus carnis nostræ: facientes, quæ cogitationibus & carni libebat. Vnde igitur vera libertas? à Christo: quosnam liberat? credentes Euangelio: quomodo liberat? donando eos suo spiritu. Nam vbi spiritus Domini, ibi libertas: spiritus autem datur ex auditu Fidei, hoc est, ex fide per auditum Euangelij in nobis excitata. Ergo veram etiam libertatem consequuntur homines è scripturis sacris, per Dominum nostrum Iesum Christum. Quæ cum ita se habeant, quisque potest videre, quanta cura, studio, diligentia incumbendum sit sacris literis: quibus tot tantosque nobis consequi thesauros valemus, veram sapientiam, veram virtutem, veram iustitiam, veram fortitudinem, veram libertatem, veras diuitias, veram denique felicitatem. Hæc certè voluntas est Dei: cui qui morem gerit, beatum eum pronunciat: qui secus facit, maledictum. Ergo carissimi adolescentes, si vobis consultum vultis, ita debetis studia bonarum literarum, artium & disciplinarum omnium persequi: vt primas semper detis lectioni & auditioni sacrarum literarum: in quibus quò quis magis proficit, eò cumulatiores sibi thesauros, citra omnem dubitationem, comparat. Sic enim habendum & statuendum est, felicitatem nostram omnem, in vera cum Christo, adeoque cum eius carne, sanguine, anima, & per hunc mediatorem cum Deo vnitione consistere: hanc autem per Spiritum sanctum, quo se ille nobis, & nos sibi incorporat, perque fidem, qua vicissim nos illum amplexi retinemus in cordibus nostris, fieri & constabiliri: Spiritum verò sanctum simul, & fidem, ad auditum Euangelij rectè intellecti, nobis communicari: eoque beatissimos illos esse, non qui in summis degunt voluptatibus atque delitiis, non qui prædiuites sunt & præpotentes, non qui longè lateque dominantur rerumque omnium potiuntur, non qui ab aliis mortalibus, tanquam Dij adorantur, non denique qui multa rerum humanarum scientia, huiusque seculi summa sapientia præditi sunt: sed illos demum qui (vt Christus pronuntiauit) audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

D I X I.

O R A T I O
IN PROMOTIONE TRIUM DO-
CTORVM THEOLOGIAE, HABITA

XVIII. DECEMBRIS M. D. LXXVI.

De dignitate studij Theologici.



QVIVS duabus in rebus tota posita est, plenaque hominis beatitudo: has ambas, viro diuinæ sapientiæ, quam Theologiam vocamus, studioso, pro certo pollicetur atque confirmat ille qui mentiri non potest, Spiritus sanctus: *ὁ ἅγιος πνεῦμα* nimirum *μετ' ἀνταρπνείας*, in hoc seculo: & perfectam æternæ cælestisque vitæ possessionem, in altero: *ὁ* beatum inquiens, virum, qui in lege Domini meditatur die ac nocte: nostis reliqua in primo Psalmo. Prior illa beatitatis pars in hoc consistit: quod huiusce cælestis doctrinæ studiosi, in hac præsertim vita, donantur vera Dei, diuinarumq; rerum cognitione: atque hac donati, per fidem in Christum iustificantur, perq; eius Spiritum, in alios homines regenerantur: Renati verò pacatam bonamque semper retinent conscientiam: atq; ex hac, sanctè & piè, in finem vsque vitæ viuentes, fructus proferunt bonos, suis quisque temporibus: sua, nunquam non, sorte contenti. Altera pars est, quod ex hac vita migrantes, superatis iam hostibus omnibus, in beatorum spirituum, Christi q; suauissimum iucundissimumq; consortium, cum triumpho recipiuntur: æternumq; cum ipso viuunt quàm felicissimè. Hæc summa est veræ, qua donari potest homo, felicitatis.

An verò hisce duabus rebus aliquid ad veram perfectamque hominis beatitatem addi potest? Plenam itaque perfectamque felicitatem illis, qui sese studio cælestis sapientiæ dedunt atque consecrant: promittit Deus per Prophetam in Psalmo, paulò antè indicato.

Primum enim beatum illum esse, foreque beatiorem simpliciter pronunciat, qui reiectis impiorum consiliis atq; doctrinis: qui damnatis sceleratorum facinorosorumque hominum institutis ac moribus: Qui denique in sempiternum valere iussis omnibus Epicuræis, cuiusvis religionis irrisoribus: ad sincerum sanctæ Legis, hoc est, sacrarum literarum studium, totum adiecit animum: inque eo sese totum, omni exercet tempore, diesque noctesque. Hoc est primum.

Deinde verò, quod generatim de huiusce hominis diuinæ Legis studiosi beatitate dixerat: illud per partes explicat. quarum prior est, quæ talis studiosus, hausta è fontibus diuinorum Bibliorum, vera Dei cognitione: noua fit in hoc seculo creatura, factus ceu ex oleastro oliua optima, arbor nimirum semper virens, & ad riuum aquarum perpetuò continenterq; fluentium, plātata: quæ fructus suauissimos suo profert tempore: quæ sua perenni viriditate mirificè semper oblectat ac recreat: cui deniq; omnia succedunt prosperè. Hæc prior est studiosi diuinæ sapientiæ, pars beatitatis: cui mox alteram, eamq; ordine posteriorem subiicit Propheta: nimirum, quod post confectum sobriè, iustè, pièq; viuendi curriculum: resurget tandem cum piis omnibus, stabitq; in iudicio, & æternam beatissimamq; deget cum Christo Angelisq; omnibus vitam. Quando contrà impij omnes, qui in hoc Mundo, vt leues stipulæ, omnibus concupiscentiæ ventis agitati vixerūt: in vniuersali iudicio cadent caussa, sempiternisq; adiudicabuntur pœnis. Deum enim piorum & verè Theologiæ studiosorum hominum instituta, vitæ moresq; probare: sicut contrà odit impiorum suarq; doctrinæ contemtorum vias.

Hæc cum ita se habeant, quæ pluribus etiam possent, si opus esset, confirmari & illustrari testimoniis: sequitur eos non solum à pietate, verum etiam à prudentia maximè omnium laudabiles esse, qui in huiusce Christianæ sapientiæ studium, seriò & constanter incumbunt, Consulunt enim sibi quàm optimè.

PPP

Quod

Quòd si id etiam efficiant non tam suæ salutis causa, quàm vt pro sua virili parte, Ecclesiæ inseruiant, regnumque Christi promoueant: non laudibus tantum, verum etiam summo amore atque honore dignissimos esse, dubium non est. Quis enim eum non laudet, qui sese studio addicit illius scientiæ, quæ omnium nobilissima atque vtilissima, sicut reuera est, sic omnium etiam sapientum iudicio esse censetur, constantique voce predicatur? Quis eum singulari & amore & reuerentia dignum in Ecclesiâ non iudicet: qui ex vera in Deum, & in patriam pietate, studia sua in salutem proximæ, publicamque Ecclesiæ vtilitatem, instituit atque suscipit? Quid autem laudabilius, quidue saluti Ecclesiæ conducibilius, studio Christianæ sapientiæ. Apostolus certè hortans Timotheum, vt in studio & exercitio Theologiæ persistat: id (inquit) si feceris, te ipsum seruabis, & eos qui te audierint. Si porro vel artium, vel scientiarum dignitas atque nobilitas, à præstantia dignitateque primorum illarum autorum æstimanda est: quid dignius diuina hac Philosophia? Huius enim autor non homo est aut Angelus: sed solus Deus optimus Maximus: qui olim locutus Patribus in Prophetis, nouissimè locutus est nobis in Filio. Si item ab antiquitate quidpiam laudabile est: quid laudabilius Theologia, qua nihil est antiquius? Sapientia enim est Dei, ab omni æternitate in eius residens pectore: reuelata verò atque manifestata iam inde ab initio Mundi, primis hominibus: per quos fideliter ad totam posteritatem transmissa est. Libri quoque de ea conscripti, antiquissimi omnium sunt ac vetustissimi. Quis enim inter scriptores, vetustior Mose atque Iobo? Si verò à subiecto (vt loquuntur Scholæ) hoc est, à rebus, quæ in quauis arte tractantur, laudè sumunt & dignitatem scientiæ: quid cœlesti doctrina præstantius, quid nobilius, quidue dignius? Neque enim hîc de rebus aut vanis, aut inutilibus, aut parum Christiano homine dignis, agitur: sed de summa rerum: de Deo Dei que Regno, deque æterna hominum salute atque vita. Hîc, quæ sint verarum omnium principia, non minùs perspicuè, quàm verè certoque docetur. Hîc, quis & qualis sit verus Deus, quænam eius tam de nobis, quàm erga nos voluntas: quidue à nobis fieri velit, disertè explicatur. Hîc, omnium bonarum legum fons omnibus aperitur: quæ vitanda, quæ uepersequenda sint, luculentissimè declaratur. Hîc verissimæ historiæ de rebus iam inde à condito orbe, propter commodum salutemque generis humani gestis, fidelissimè narrantur: omniumque aliarum historiarum firmissima iaciuntur fundamenta. Hîc vera Rhetorica, efficaxque persuadendi ratio traditur: quæ nimirum non in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, flosculis, ornamentis, coloribus, luminibus: sed in virtute diuini Spiritus, diuinique verbi efficacitate consistit. Hîc legitima, medicinam non quidè corporibus, sed animis faciendi: imò & corpora nostra, æterna felicissimaque valetudine donandi, via methodusque compendiosissimè docetur. Hîc denique, quæ ratione tum quisque seipsum suamque familiam regere: tum politiæ, Respublicæ, Regna, totusque adeo Mundus administrari temperarique ab hominibus possit, facilimè discitur. Quidvis amplius? Atque hæc omnia, vna præstat Theologia nostra: quæ nil aliud est, quàm doctrina de Deo Dei que natura, ac voluntate operibusque, ad salutem hominum, in S. literis reuelata. Si ergo ab iis, de quibus in quauis scientia atque arte agitur, ipsarum scientiarum artiumque dignitas & excellentia pendet: quis non videat, nullius artis, nulliusque scientiæ studium, cum studio Theologiæ, vlla ratione comparari posse? Adde iam & hoc, quòd quæ in nostra Theologia ex veris ipsius fundamentis traduntur: tam certa sunt, vt nihil certius esse queat. Magna sanè dignitas est scientiarum Mathematicarum, propter certas euidentesque demonstrationes, quibus sua confirmant: sed quid illæ ad certitudinem verbi Dei? Deus enim, vt non potest falli: sic nec fallere vult aut potest: quippe qui ipsissima veritas est atque sapientia. Sacras autem literas, quibus solis vera nititur Theologia, ipsum esse, certissimumque Dei sermonem: sicut nemo nostrum Dei beneficio dubitat: sic etiam firmissimis rationibus

tionibus demonstrari facile potest. Imò iam olim satis abundè aduersus illorum temporum Gentes demonstratum à nostris Patribus fuit. Nam præterquam quod veritatem hæc in ipsis Electorum omnium animis inscribit Spiritus S. vt dubitare de illa non possint: idem etiam constat omnium fermè Gentium ac populorum testimonio. Quid enim q̃ Iulianus ille Apostata, sceleratissimus homo, irriserit scriptatum Veteris, tum Noui Testamēti? Iudæi omnes à Mose, in hæc vsq; tēpora, constanter testificati sunt, & testificatur, quæ in Veteri habemus fēdere Biblia: ea à Deo fuisse Mosi, aliisq; Prophetis, & sacris scriptoribus reuelata: quemadmodū etiam Apostolus de iisdē Scripturis pronunciat in altera ad Timotheum Epist. Omnes verò, qui Christo nomen dederunt, per totū terrarum orbem, longè lateq; diffusi: perpetua constantiq; fide, idem de omnibus quoq; libris Apostolicis, & certò nouerunt, & palàm prædicarunt atq; prædicant. Quin & permulti sanguinis vitæq; profusione obsignarūt & quotidie obsignant. Parū mne videtur hoc testimonium? Quot verò quantisq; miraculis iam inde à Mosaicis huc vsq; temporibus confirmata, illustrisq; toti orbi facta fuit hæc sempiterna veritas? Sexcenta Israëlitarum millia & amplius viderunt signa atq; portenta, quibus Deus in monte Syna sese patefecit, suamq; promulgauit Legem. Quid igitur Mosaica certius doctrina? Innumerabiles verò populi, ex omni natione earū, quæ sub cælo sunt, vt Lucas narrat: præsentēs spectarunt, quæ Hierosolymis è cælo contigerunt. eūm Apostolorum doctrinam, quam per totū terrarum orbem iussu à Christo fuerat publicari: suam esse doctrinam, comprobare voluit. Ita & Legis simul, & Euangelij cælestis doctrina, in quam tota S. Scriptura resoluitur, & quæ summā Theologiæ cōplectitur: manifestissimis totiq; orbi notissimis è cælo editis signis, confirmata, nullam amplius, nisi fortè apud Iulianos, habet, haberēue potest dubitationē, quin ex Deo sit sapiētia sempiterna. Quis enim sanæ mentis homo, de ea dubitare queat doctrina, quæ præter eas, quas attulimus rationes, certum quoq; habet euentum earum rerum, quæ in ea multis antè seculis, prædictæ fuerant? An non verò, quæcunq; de Christo prædixerat Moses, aliiq; Prophetæ: ea omnia suū habuisse complementū videmus? Nisi hæc omnia essent vobis perspectissima: singula Ego, collatione eorum, quæ narrant Euangelistæ, eūm vaticiniis Prophetarum, de iisdem singulis rebus, copiosissimè facta, luculentissimè explicarē. Verū id Euangelistæ, ante omnes præstiterunt abundè. Quid enim de Christo narrant, cui statim non subiiciant ex dictis Prophetarum testimonium: Sic fieri oportuisse, quia sic scriptum fuerat? Quis verò vestrū nesciat, quotnam ante exitum de Aegypto seculis prædixerit Abraham Deo, illius semen futurum seruū in Aegypto: & inde tamen liberatum iri post annos 400. & amplius? Euenerunt certè omnia. Quid obsecro nominatim de Cyro, de quæ præclaris eius actionibus prædixerat Iesaias, annis antequam ea contigissent, supra centum? An non eodem tempore, eodemque modo complementum habuerunt, quo fuerant prædicta? Si sacris historiis non creditur: legantur profanæ, quæ de rebus à Cyro gestis, accuratissimè fuerunt conscriptæ: ac rem ita se habere, manifestissimè cōperietur. Quid verò clarius his, quæ Daniel partim de suo, partim de longè post venturo tēpore prædixit? Illa priora viderūt ita euenisse, sicut prædixerat Propheta, omnes illius tēporis Nationes: nimirū Regē Nabuchadnezarū ex hominū consortio abiectū, herbam instar Bouis comedisse: sub Dio, die noctuq; in syluis tanquā syluestre feram oberrasse: capillos ei, vt plumas Aquilæ, vnguesq; sicut auium creuisse: donec tandē (vt prædixerat Daniel) vera donatus fuit Dei cognitione, sinceraq; pietate. Filium porrò eius Balsazarum Regem interfectum: regnumq; iuxta vaticinium sancti Prophetæ, ad Medos & Persas, mox translatum fuisse: iuis itidem viderunt oculis. Posteriora verò, quæ scilicet de Monarchiis, quæ de regnō Christi, quæ de certo annorum interuallo vsque ad Messia aduentum: quæ de eius morte, sacrificio, expiationeque peccatorum: quæ de Legis abrogatione: quæ de An-

tiocho: quæ denique de Antichristo, regnoq; eius prædixerat idem Propheta: ea partim Apostoli ipsi spectarunt: partim porrò & nos re ipsa contigisse, non solum legimus, verum etiam luce meridiana clarius perspicimus. Quid obsecro plus fidei atq; autoritatis conciliare potest toti à Daniele de religione traditæ doctrinæ: quàm hæc manifestissima omnium eius vaticiniorum complemēta? Idem planè de reliquorum Prophetarum vaticiniis, si aut per tempus liceret, aut apud vos necessarium esset, demonstrare facile possem: unde & eorum doctrinam, non minùs, quàm Danielis, à Deo fuisse illis reuelatam, clarissimum fieret. Theologiam autem Danielis, eandem planè cum reliquorum omnium Prophetarum & Apostolorum Theologia esse: quotusquisque vestrum est, qui nesciat? Ut reliqua taceam capita, & de summa tantum aliquid dicam: An non eadem est omnium Prophetarum & Apostolorum, de Deo Dei que natura & Attributis: de Christo, Christi que officio: de ratione, qua beneficij Christi fimus participes & seruamur, nimirum per fidem, doctrina? Quantum verò ad certitudinem nostræ Theologiæ confirmandam, habet hæc consensio ponderis? Lege profanas historias, lege Medicos, lege Iurisperitos, lege deniq; omnes, quotquot ab orbe condito fuerunt profani scriptores: eos semper, si non in omnibus, in plerisq; tamen inter se multum dissidentes, comperies. At in Scripturis S. tanta est inter priores & posteriores omnes scriptores consensio, tantaq; harmonia: ut dici aliter non possit, quàm omnes ab vno & eodem Spiritu afflatos fuisse: Spiritu inquam veritatis, Spiritu sapientiæ, Spiritu (ut vno verbo dicam) Dei, Deo: ut quod de Scripturis omnibus veteris Testamēti dixit Apostolus: id in omnes, quos Canonicos Noui etiam fœderis vocamus libros, verè competat: nimirum, ut diuinitus inspirati, eoq; ipsissimum Dei verbum esse prædicentur. O verè cæcos, simulque & infelices, qui de certitudine huius cœlestis sapientiæ dubitant. Quantum verò hoc est, quod neq; doctrina ipsa, vllis vnquam hæreticorum dolosis conatibus, ex Ecclesia conuelli: neque Ecclesia ab hac cœlesti sapientia, vllis Tyrannorum machinis auelli potuit? Argumentum Gamalielis ineptum non fuit: Si ex Deo est (inquit, de religione Christiana verba faciens) vos non potestis impedire. Si verò ex hominibus: ea per se corruet. Sapiens sanè dictum. Quæ enim diuina sunt & pura: ea perpetua etiam sunt: Quæ peregrina & fucata: ea nequeunt diu consistere. Proinde etiam de Ecclesia dixit Christus: Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Quid ita? Quia à Christo Deo, Dei Patris Filio plantata est & exædificata. Non potest autē Ecclesia consistere sine verbo: sicut neque verbum vllibi purum, puraq; eius prædicatio custoditur, nisi in Ecclesia. Quòd igitur S. literæ contra tot tantosq; hostes, semper in Ecclesia fuerunt conseruata, nunquam verò his penitus spoliari illa potuit: non paruo hæc res argumento est, eas verè à Deo traditas, inq; Ecclesia collocatas ad omnem æternitatem fuisse. Ab his autem suum habet ortum: per has suos facit progressus: in his acquiescit Theologia nostra: in cuius vera solidaque cognitione, veram cuiusque hominis beatitatem consistere, de principio huiusce orationis nostræ demonstratum breuiter simul atque dilucidè à nobis fuisse confidimus.

Quid igitur ex his omnibus demonstratū volumus? Hoc sanè, quod initio propositum à nobis fuit: nimirum, Qui seriò & constanter incumbunt huiusce diuinæ sapientiæ studio: idque non tam ut suæ, quàm ut aliorum quoque salutis consulant: Regnumque Christi pro sua virili parte promoueant: hos non solum magnis laudibus dignos esse: verum etiam qui ab omnibus amentur, & in Ecclesia iusto honore afficiantur, dignissimos.

Quæ cum ita se habeant: restat, ut ad id, cuius causa hæc omnia fuerunt dicta: imò cuius gratia huc omnes conuenimus, accedamus.

Nunc igitur ad vos tres, quorum causa hîc sumus omnes, Ego me meamque Orationem conuerto. Quæ diximus de duabus felicitatis partibus, quas Spiritus S. viro
veræ

Veræ cœlestisquæ doctrinæ studio pollicetur: ea vos partim experti estis, partim re
 ipsa sentitis, partim in posterum magis ac magis (vt confidimus) sentietis in vobis
 ipsis. Primum enim donati estis à Deo, ex vestris studiis, vera Dei, rerumquæ diui- *1. Cogni-*
 narum cognitione: ita vt à Facultate nostra Theologica, iudicati fueritis digni, qui *tio.*
 eam alios quoque publicè doceatis. Deinde, non dubitamus, quin præter cognitio- *2. Fides*
 nem istam, fides quoque in Christum, aucta in vobis fuerit non mediocriter ex stu- *efficax.*
 dio S. literarum: vsque adeò, vt instar arborum frugiferarum, ad riuos perennis aquæ
 continenter fluentis consitarum: magno teneamini desiderio ac studio, suaues fru-
 ctus proferendi: ad gloriam nominis Dei, & ad Ecclesiæ vtilitatem. Videtis porro *3. Succes-*
 omnia vestra studia, conatusque vestros, prosperè vobis successisse: ad res etiam ex- *sus exter-*
 ternas quod attinet. Nam præter laudem & honorem, quem apud omnes consecuti *nus.*
 estis ex vestris studiis: nemo etiam bonus est, qui vos vestramque pietatem & erudi-
 tionem non amet & veneretur. Denique gradum etiam, quem optastis & petiistis, *4. Gra-*
 nempe liberam publicè Theologiam profitendi facultatem, adepti & consecuti e- *dus.*
 stis, cum omnium applausu atque gratulatione. Ita, vt nihil iam restet (quod ad
 hæc externa attinet) nisi vt insignia Doctoratus (vt vocant) accipiatis. Quod cum
 vobis concessum sit à clarissimo nostræ Facultatis Decurione: hoc ipsum etiam per
 me iam iam consequemini. Sed si prius vos rogauero, Fratres in Domino charissi-
 mi, vt seriò & attentè cogitetis: ad quamnam functionem vos, ex tam multorum
 studiosorum numero elegerit Dominus in hoc tempore: atque hac publica cere-
 monia obsignare voluerit: ad munus nimirum sicut omnium dignissimum, vtilissi-
 mum, necessariumque in Ecclesia: sic etiam omnium per se molestissimum, labo-
 riosissimumque: Mundo autem & Sathanæ odiosissimum: nempe ad euellendum æde-
 molendum: & simul etiam ad plantandum & ædificandum: quemadmodum ad Ie-
 remiam dixit Dominus: hoc est, tum ad refellendos errores atque hæreses, quas quo-
 tidie Sathan, per suos ministros, ab inferis reuocat: tum ad cultum Dei, à supersti-
 tionibus & ἐθελοθρησκίαις repurgandum ac vindicandum: Et contrà ad propagan-
 dam cœlestem doctrinam tum voce, tum scriptis: & ad retinendam puram in Eccle-
 sia Religionem: eoquæ in summa, ad regnū Christi defensionem, conseruationem, am-
 pliationem. Hic est enim finis & summa vocationis nostræ, sicut Apostolus disertè
 docet ad Ephes. cum ait, ad instaurationem sanctorum in ædificationem corporis
 Christi, quod est Ecclesia, dari à Christo Pastores & Doctores ipsi Ecclesiæ. Neque
 aliunde fieri video, vt Ecclesiæ colūna & firmamentū veritatis vocetur & sit: quàm
 quia Christus dat subinde pios Doctores & Pastores, qui in Ecclesia verbum prædi-
 cent, purequæ interpretentur: qui retineant veritatem, tollant autem errores: qui oc-
 currant lupis, & suo inuigilent gregi. An non verò rem ita se habere, luculentissimè
 comprobât tum vetera, tum noua diuersarum Ecclesiarū exempla? Da Ecclesiæ ve-
 ros Pastores, sincerosquæ Doctores, qui strenuè & diligenter suum faciant officium:
 tum videbis Ecclesiam illā, columnam esse & firmamentū veritatis. Tolle hos, quid
 consequetur, nisi imperitia, barbaries, impietas, idololatriæ, portentosa opinioniones,
 execrabiles hæreses? Contigit hoc Ecclesiæ Israëliticæ, quemadmodum in S. literis
 manifestū est. Euenit idem Ecclesiæ Romanæ. Dum in ea floruerunt pij doctique Epi-
 scopi ac Doctores, idque per annos multos, etiā post Constantinum illū Magnum: fuit
 illa Ecclesia illustre exemplar aliis omnibus, adeoque toti orbi, sinceræ doctrinæ, pu-
 ri cultus, & sanctitatis Christianæ. Illis sublati, paulatim ita defecit: vt nullibi plu-
 res errores, maioresque idololatriæ reperiuntur, quàm in Ecclesia Romana: idque
 multis ab hinc annis atque seculis. Ita quæ fuit, non amplius est columna & fir-
 mamentum veritatis. Sed quid Romanam in medium profero? Inspicite, inspicite
 Ecclesias quas reformatas & Euangelicas vocamus. In memoriam reuocate præ-
 stantissimos, quos singulæ ferè habuerunt Doctores. Animo recolite, qualis fuerit

illarum Ecclesiarum status, dum à piis Pastoribus docerentur, regerentur. Comparare porro illa tempora cum nostris. Examine causas deflexionis à pura doctrina, à cultu vero, à Christiana charitate, vbinam potissimum hæreant. Quis tam cæcus est, qui non videat labefactionem hanc, quam inuiti & dolentes cernimus, inde proficisci, quòd Deus, propter nostram *ἀχαρίαν*, iusto suo iudicio, non solum pios Principes tollit, sed etiam sanctos, cordatos, sincerosque Doctores? Metuendum sanè est, ne quod Ecclesiæ Romanæ palàm contigisse videmus: idem eueniat Germanicis Ecclesiis: ut vnde Euangelium cœpit propagari, inde longè lateque emanent putidæ aquæ diuersarum hæresum & superstitionum. Rogandus igitur Deus ut nostri misertus, sinceros piosque Doctores suæ largiatur Ecclesiæ: vobis verò cauendum in primis est, ne, quod nonnullis contingit, contenti inflati que solo Doctorum titulo, studia negligatis: sed danda potius opera, ut titulus iste, ornamentaque Doctorum, vobis sint stimuli ad diligentius studendum, faciendumque officium: id quod & precamur vobis à Deo, & speramus de vobis.

Nunc ad rem venio.

Ego pro ea autoritate, qua in præsentia fungor, & nomine totius collegij nostri Theologici, vestræ iustæ annuens petitioni: palàm hîc creò, pronuncio, saluto, vos S. Theologiæ Doctores: vosque non solum titulo & nomine Doctorum orno: verum etiam omnibus honoribus, ornamentis, priuilegiis afficio & dono, quibus ornari donari que solent omnes, qui ad istum dignitatis gradum, legitima ratione conscendunt. Quod ut felix faustumque sit, vobis, Ecclesiæ, nobis, Deum Opt. Max. ex animo precor.

Addo præterea externa huius dignitatis symbola, tum ut res certior fiat: tum etiam, ut iis, vestri semper moneamini officij.

Pileus, signum fuit libertatis apud Romanos. Libertas, qua nunc donati estis: est libera publicè docendi, literasque sacras interpretandi facultas. In huiusce ergo rei signum, novos pileos capitibus vestris impono, ut vestri semper moneamini officij.

Annulus apud Romanos symbolum fuit Nobilitatis, equestrisque Ordinis. Non parua est ista nobilitas, qua iam ornati estis: nempe quòd inter Doctores Ecclesiæ Dei recepti fuistis: & ceu ex ordine pedestrium militum Christi, in ordinem Equestrium euecti. In huius igitur rei testimonium, indo digitis vestris annulos: Et, ut moneamini, vobis strenuè pugnandum esse pro Christo eiusque Ecclesiæ, aduersus hæreticos & Antichristum.

Librum præterea Sanctæ Scripturæ, apertum vobis trado: & rursus clausum reddo: ut hoc signo intelligatis, in hoc libro vobis semper esse versandum, diesque ac noctes meditandum: Et modò hunc apertum vobis populo explicandum: modò ex hoc clauso, s. d. memoria retento docendū, ac contra hostes Euangelij disputandum.

Denique hoc publico amplexu & osculo, nomine omnium piorum Doctorum vos amplector in Domino, ut intelligatis, pacem, charitatem, atque concordiam in Christo, inter nos vbique & semper esse colendam. Quod sicut nos facturos pollicemur: sic vos vicissim præstituros speramus: ad gloriam nominis Dei, Ecclesiæ ædificationem, & nostri omnium salutem.

Α Μ Ε Ν.

DE